

**TEXTOS ESCOLASTICOS AGUSTINIANOS**

**De homicidio et iustitia commutativa  
(Manuscrito de Fr. Juan de Guevara)**

POR

BONIFACIO DÍBERNAN, AGUSTINO  
DOCTOR EN DERECHO Y PROFESOR DE DERECHO CIVIL  
EN LA UNIVERSIDAD DE EL ESCORIAL

II (\*)

**QUAEST. 68**

**De his quae pertinent ad injustam accusationem.**

Art. 1. Utrum homo teneatur ad accusandum.

1.<sup>a</sup> conclusio: quando delictum impunitum causat malum communitatis homo tenetur accusare si potest probare testibus sufficientibus.

2.<sup>a</sup> conclusio: si tamen non cadit delictum in malum communitatis vel non potest probare testibus sufficientibus non tenetur accusare.

Art. 2. Utrum sit necessarium accusationem in scriptis fieri.

Conclusio est affirmativa.

Art. 3. Utrum accusatio reddatur injusta propter calumniam, prevaricationem et tergiversationem.

Conclusio est affirmativa.

---

(\*) Véase ARCHIVO AGUSTINIANO, enero-abril, 1956, págs. 88-116.

Art. 4. Utrum accusator qui in probatione deffecerit teneatur ad penam talionis.

Conclusio est affirmativa.

De hac tota quaestione est titulus in utroque jure; Summistae verbo accusator et Silvester ibi bene. Soto in relaectione (vel ?) tegendi vel detegendi secretum, 2 membro, quaest. 5; et liber. 5, de iustitia, quaest. 5 Pro intelligentia hujus, nota 1.<sup>o</sup> quod tres sunt modi quibus crimina manifestantur iudicio; 1.<sup>o</sup>, denuntiatio (fratris ?); quae est post correctionem fraternam et ordinatur ad emendationem fratris, et quia ordinatur ad bonum fratris, ideo fit iudici ecclesiastico. 2.<sup>o</sup>, inquisitio; quando communiter inquirunt crimina ad puniendos malefactores. 3.<sup>o</sup>, accusatio, quando aliquis accusat, ut hic D. Tho.; et hi duo postremi modi maxime ordinantur ad bonum commune ut puniantur crimina, et alii exemplo horum emmendentur; non excluditur quando quis accusat propter suam vindictam; differentia est inter denuntiationem et accusationem propter differentiam dictam ex parte finis, quod denuntiatio non fit in scriptis, accusatio vero etiam, ut ait D. Tho. in art. 3, ad 3<sup>m</sup>, et sumitur ex cap. super his de accusationibus. Est alia differentia, quod denuntiator (1).

/fol. 125, v./ non se obligat ad probandum crimen (bene ?) tamen accusator, unde denuntiator non punitur pena talionis si non probatur delictum, accusator vero sic. Verum est tamen quod haec pena talionis non mandatur executioni regulariter, neque est in usu sed puniuntur alia pena et aliquando corporali. Hi tres modi sunt iudici ut patet in titul. in Decretalibus, de accusationibus et denuntiationibus, et cap. inquisitionis, et cap. qualiter et quando, 2<sup>m</sup>.

Circa conclusionem art. 1<sup>i</sup> primi D. Tho. nota illam esse certissimam quia si tenetur homo aliquando exponere vitam pro bono publico et aliquando censum, laborem, ergo

(1) Differentiam inter accusationem et denuntiationem nota. (Differentia inter accusationes et denuntiationes) repite para aclarar la escritura.

et accusare, et rejiciendi sunt contraria dicentes; tamen hoc est verum quod raro tenetur homo accusare sub precepto, quia injuria est propria, consilium est Evangel. illam remittere et quia raro evenit ut bonum publicum sit in tanta necessitate quod si ego non accusaverim peccem mortaliter, quia potest aliis viis bono communi providere et regularis ira est per denuntiationem juridicam vel canonicam, ubi ego possum revelare judici crimen alterius ut ille ex officio inquirat et provideat bono communi vel fiscali procuratori fisci ut accuset ille, quia accusare est grave onus, quia obligatur ad probationem ad penam talionis, ad expensas, ad alia pena, et ad totum onus; nullus est obligandus sub pena peccati mortalis nisi ingens necessitas boni communis appareat et forsam hac ratione dicunt aliqui nullum teneri ad accusandum.

Nota quod D. Tho. nomine accusationis intelligit omnem aliam denuntiationem preter fraternam correctionem et ita illi qui non possunt accusare quia sunt clerici vel infames vel alia ratione tenentur in casu denuntiare; clerici vero qui accusant vel denuntiant, debent protestare ut non sint qui irregulares quod non intenditur quod procedat ad penam sanguinis; ita habetur in cap. prelati in jure lib. 6 de homicidio.

Dubium. Utrum liceat aliquando accusare ita quod sit liberum, ita quod non teneatur et possim, sed solutio pendet ex alia quaest: Utrum accusator teneatur premitere fraternam correctionem antequam accuset. Circa hoc sunt duae sententiae, ut refert D. Tho. in 4, d. 19, quaest. 25, art. 5 q. ( ) 4<sup>m</sup>: 1.<sup>a</sup> est quod nisi sit periculum in mora debet accusator arripere fratrem antequam accuset et si frater emendatur desistat ab accusatione si providet bono communi. 2.<sup>a</sup> est contraria: quod accusator non tenetur secreto fratrem corripere, sed si ille potest probare delictum statim potest procedere ad accusationem: et si dicas esse contra divinum preceptum corripere intra te etc., respondet D. Tho. expositione hujus sententiae quod illud

preceptum intelligitur quando intendit bonum fratris per viam denuntiationis premittere correctionem, sed quia accusatio ordinatur ad bonum commune, non necessarium est premittere correctionem. Silvester, verbo accusatio, p. 3, refert hanc sententiam D. Tho. et putat D. Tho. sequi priorem sententiam, sed re vera, ut constat ex modo loquendi, magis videtur acceptare 2.<sup>m</sup> sententiam. Silvester vero magis placet 1.<sup>a</sup> opinio. Eadem est sententia D. Tho. quolibeto 1.<sup>o</sup>, art. 6; et quolibeto II, art. 13; et hic art. 1.<sup>o</sup> precipue ad 4.<sup>m</sup>. Ex his locis D. Tho. videtur colligi quod liberum est aliquando procedere per viam denuntiationis vel per viam accusationis; si vis per viam denuntiationis debes prius corripere fratrem sequendo Evangelii preceptum; si vis per viam accusationis, ut puniantur crimina propter bonum commune, liberum est; et tunc /fol. 126, r./ non debes corripere sed statim potes accusare. Pro ista sententia est vis usus, qui confirmatur quando quis accusat propriam injuriam, et si accusat sine previa correptione. Et probatur ratione, quia bonum commune preferendum est bono privato, ut testatur D. Tho. hic ad 3.<sup>m</sup>; ergo ut timore penae homines arceantur a peccatis licebit statim accusare. Haec tamen sententia est multum rigida, hanc enim invenio doctores illam fortiter et ex professo sequentes, ideo pro solutione, nota quod *in foro exteriori secundum formam accusationis non requiritur previa secreta admonitio, quod verum est* (subrayado en el manuscrito) secundum utrumque jus civil (1) e et canonicum. Hoc habet D. Tho. in 4, loco citato; et Durandus in 4, d. 19, q. 4. Batet etiam ex forma juris quia in cao. inquisitionis et cao. qualiter et quando 2.<sup>o</sup>, de accusationibus habetur quod si quis denuntiat ante admonitionem, quod iudex non admittat denuntiationem.

2.<sup>a</sup> conclusio est hic *quod licitum est accusare non premissa correctione si ego possum accusare in aliquo casu*, id est, quod fraterna correptio secreta per accidens se habet ad accusationem quando accusamus cum possu-

mus accusare. Haec est sententia Soti et probatur quia correptio fraterna dicitur duo: quod sit secreta, et quod sit admonitio et exhortatio ad penitentiam: in quantum ad hoc ultimum est non determinat locum, neque tempus, neque publicum bonum, neque secretum, sed ubi fieri poterit licet ad suplicium ducatur (nempe ?) herecticus et sit ista exhortatio in hoc sensu, aliquando debet precedere accusationem. At vero in quantum est secreta correptio ordinatur ad bonum famae proprium ut conservetur fama ipsius proximi. Nunc probatur nostra conclusio, scilicet, quod accusatio per se non requiritur, quia accusatio per se ordinatur ad bonum fratris publicum ubi infamatur, et confirmatur quia licet frater sit emendatus possum aliquando accusare ad petendam vindictam, quare sequitur ex hac conclusione, ut diximus supra, quaest. 33, art. 7, quod quando est delictum urgens in malum multitudinis tunc statim quis potest procedere ad accusationem, imo tenetur aliquando; maxime quando cadit in periculum heresis et quando aliquis vult intendere seditionem.

Dubium. Utrum detur aliquando cassus quod homo possit accusare si non tenetur. *Conclusio est quod aliquando licet quamvis non teneatur quia liber est homo*, ita Cajetanus hic, et supra, quaest. 33, art. 7; et hoc potest evenire in duplici accusatione, 1.<sup>o</sup> ad vindicandam propriam injuriam; tunc potest quis accusare et non tenetur. 2.<sup>o</sup> licitum est pro bono publico, quando multum conveniat bono publico promovendo, sed si non accusat et non puniatur non sequitur magnum detrimentum, verbi gratia: commisit homo delictum enorme scandalosum; si puniatur hoc delictum, bonum publicum sequitur, si vero non puniatur malum quod inde evenit bono publico est multum, quod sit peccatum mortale.

4.<sup>a</sup> conclusio: *Non semper homo potest accusare delictum etiam si possit probare testibus sufficientibus, sed tenetur prius corripere fratrem secreto, et si emendetur desistere ab accusatione.* Volo dicere quod quando pecca-

tum est secretum, licet possit probare sufficientibus testibus. non potest accusare statim nisi premisa correptione; et si desistat a peccato, non potest accusare nisi in casibus tertiae conclusionis. Haec conclusio est secundum charitatem et apparet esse contra iustitiam quia ille reus habet jus ad propriam famam in tali casu. (Margen: hanc conclusionem nota nota) Haec conclusio ut existimo est communis theologis, ita intelligendus est Durandus, /fol. 126, v./ in 4, d. 19, quaest. 4. Adrianus in 4, in materia de restitutione, fol. 63, ubi agit de restitutione famae, paragraphos qui incipit, sed nunc contra predicta: et Cajetanus, supra quaest. 33, art. 7; et hic circa axioma primum in illis verbis ubi ait non tenetur ad acusandum, licet possit ex zelo iustitiae accusare. Haec 4 conclusio est pensatis conditionibus personae; et Soto in relectione illa citata, quaest. 5; et clarius in hac quaest. de iustitia et jure sine forsam, et probatur conclusio: 1.º, ex fine precepti fraternae correctionis secretae, quia homo tenetur providere lege charitatis bono fratris et bono communi cum minimo periculo fratris quo potuerit, sed in multis casibus et in casu conclusionis, per correctionem secretam potest providere bono communi emmendando fratrem, et bono ipsius fratris sine periculo famae; ergo lege charitatis et iustitiae tenetur prius corrigere quam accuset; accusatio, enim, ad bonum communem ordinatur.

2.º, probatur quia alias vix aut nunquam sub precepto ordo servandus in correctione fraterna usque ad denuntiationem, sed potest statim vel denunciare vel accusare sine correctione, quia ad denuntiandum necessarium est prius adhibeantur duo vel tres testes juxta quod evangelium. Tunc vel illi antea sciebant delictum vel non, sed nunc adhibeo ut sciant ut ego possim denunciare: si primum jam poteram tunc accusare sine correctione; si 2<sup>m</sup>, jam postea habeo tres testes quibus possim probare delictum. 3.º possum intendere bonum commune, et non procedere per viam denuntiationis sed per viam accusationis;

consequens est falsum, quia Christus bene sciebat futuros esse plures casus ubi duo vel tres testes sciebant delictum et tamen ait corripe, et non dixit statim accusa.—Confirmatur quia si propter bonum commune, quodcumque sit, licet accusare, licebit statim, quando non possum probare. dicere prelato quodcumque crimen et secretum ut provideat, et iudici: at hoc est contra Evangelium: ergo fallax est illa ratio quod propter bonum commune liceat statim accusare. Probatur etiam conclusio: si opposita sententia esset vera plures hominis possent acusari et infamari publice, quia quamplurima delicta sunt in republica quae possunt probari testibus sufficientibus. Consequens est falsum et contra bonum publicum, ergo et antecedens. Probatur minor, quia iudices non possent determinare et definire tot causas: esset maxima turbatio in republica et esset magnum malum, quia magna pars reipublicae infamaretur; haec autem sunt inconvenientia est laxa et maxima, ergo non statim licet accusare licet possit probari quod dico de accusatione quod non licet acusare, tunc intelligendum est de denuntiatione judiciali.

Hinc sequitur quod si esset vir bonae famae in republica et apprehendatur in aliquo vitio et delicto secreto, quod tamen possit probari testibus, non est facile talis persona accusanda vel infamanda; quia in republica majus malum sequitur ex ejus infamia quam ejus punitione publica, plures enim scandalizantur et sumunt anssam peccandi et irridendi viros probos, et plures provocantur ad peccandum illius exemplo quam caveantur timore penae. Sed dico in peccatis contra charitatem, reus est in peccato heresis ut supra diximus. Ad auctoritatem D. Tho., dico primo; quod non dixit illud in sua Summa in qua habemus ultimam sententiam D. Tho.; unde dico 2.<sup>o</sup> quod D. Tho. est pie exponendus juxta dicta in 2.<sup>a</sup> et 3.<sup>a</sup> conclusione, quod accusatio non presupponit per se fraternam correctionem secretam quando ego licite possum accusare, quando vero liceat accusare non definivit D. Tho. sed alia via est

summenda /fol. 127, r./ ut nos diximus; unde dico 3.<sup>o</sup>, quod D. Tho. ait hic et alibi quod aliquando homo tenetur accusare sub precepto et tunc non est necessaria fraterna correctio, neque obligat preceptum fraternae correctionis; et hic argumenta tria tradunt contra hanc conclusionem et intendunt probare quod homo nunquam possit licite accusare fratrem vel saltem quod non teneatur accusare; et hoc explicat ad 3.<sup>m</sup>, quod propter bonum commune licet non quomodoquunque sed quando oppositum esset contra bonum commune; et quod haec sit mens D. Tho. patet supra quaest. 33, art. 7, et constat hoc argumento 3.<sup>o</sup> cum solutione ejus.

Ad argumentum ex usu, dico quod ille non est usus sed abusus si fiat contra ea quae diximus, et ad argumentum dico quod concedo antecedens, sed nego consequentiam, quia non est eadem ratio; si enim non haberetur hoc jus dare tur anssa malefaciendi hominibus improbis. Ad rationem, dico quod bonum commune preferendum est bono privato fateor quando alterum necessario ferendum est; sed, si utrumque possum salvare, salvetur.

Nota solutiones ad 3.<sup>m</sup>, art. 3; et ibi Cajetanus ait quod etiam inferior judey potest uti epicheia et aliquando dissimulare et consulere principem de epicheia. D. Tho. infra quaest. 120. Hoc diximus ut sciamus quomodo et quando princeps possit penam relaxare quaest. precedenti.

## QUAESTIO 69.

### De peccatis quae sunt contra justitiam.

Art. 1. Utrum absque peccato mortali possit accusatus veritatem negare propter quam condemnaretur.

Art. 2. Utrum accusato liceat calumniose se defendere.  
Materia horum articulorum est gravis et multum ne-

cessaria. D. Tho. ponit 4 conclusiones principales in his duobus articulis.

1.<sup>a</sup> conclusio: Si iudex juste interrogat, reus tenetur manifestare veritatem, non obstante periculo mortis, et non potest occultare veritatem amphibologia aliqua aut quocumque verborum (suorum ?) etiamsi absque juramento interrogetur, et tenetur ad hanc manifestationem sub peccato mortali.

2.<sup>a</sup> conclusio: Si iudex injuste interrogat, non tenetur reus manifestare veritatem, sed potest eam occultare verbis amphibologicis vel alia via honesta et, si contingat, mentiri, ut se ab injusta illa interrogatione defendat licet peccet contra Deum, non tamen contra iustitiam; et ita non tenetur ad restitutionem aliquam, neque ad recantandum palinodiam, id est a desdecirse, licet peieraverit.

3.<sup>a</sup> conclusio: Nunquam reus potest mentiri ut se defendat ab injusta oppresione et interrogatione, et si mentiatur cum perjurio erit peccatum mortale; tamen, si sine juramento, erit veniale.

4.<sup>a</sup> conclusio: Iudex juste interrogat quando precessit infamia et precesserunt iudicia, et si precessit semiplena probatio, et tenetur respondere juxta istam conclusionem, si autem aliter interrogatus erit injusta interrogatio communiter /fol. 127, v./ nisi in aliquo casu. De hac materia vide Soto, relectione citata, (me...†?) 2, quaest. 6 et 7; et lib. 5 de iustitia, quaest. 6. Silvester verbo accusatio, p. 10 et sequantibus, et verbo inquisitio.

Pro explicatione hujus materiae, nota 1.<sup>o</sup>: quod tres sunt viae ad puniendo crimina iudice, ut diximus; scilicet: via denuntiationis, accusationis, inquisitionis, tamen adde unum, quod sicut ad denuntiandum requiritur secreta admonitio, ita ad inquirendum, requiritur publica infamia seu clamorosa insinuatio; hoc patet secundum omnes et habetur in jure de accusationibus, cap. inquisitionis. Ibi papa expresse deffinit hoc, adeo ut dicat quod,

etiãmsi sint duo aut plures testes jurati contra aliquem, propter aliquod crimen, non est contra eum inquirendum nisi precesserit infamia, et hoc determinatur capite qualiter et quando 2, et in multis aliis capitibus.

Nota tamen quod est alia via qua manifestantur crimina que reducitur ad accusationem, scilicet via exceptionis ut habetur in cap. supra hic, de accusationibus, et est frequentissima in iudicio; verbi gratia: test estes contra me, ego possum dicere, si ille est infamis, non valet testimonium suum quia est infamis, ebrius, inimicus etc.; idem de accusatore et de aliis; idem de aliquo qui opponitur ad beneficium possum excipere; idem de iudice si est iudex inimicus et recusare iudicem; servanda tamen est qualitas personae et aliorum rerum secundum prudentiam.

Deinde nota quod duplex est inquisitio, alia est generalis ut fit in visitationibus cenobiorum, et in edictis publicis quando Episcopi promulgant ut appareant crimina. Alia est particularis quando inquit an Petrus commiserit hoc delictum. 1.º modo non tenentur subditi respondere si crimina sunt secreta, et ita praeceptum semper est intelligendum servato ordini fraternae correctionis; patet ex cap. qualiter et quando 4.º, ubi definit pontifex quod iuramentum quod faciunt canonici in visitatione ecclesiae intelligitur exceptis occultis criminibus, idem de precepto Episcoporum generali vel sub sententia excommunicationis; alias injustum est preceptum aliter non teneor illi obedire; obtemperare enim opus est Deo magis quam hominibus. Ad hanc inquisitionem non requiritur infamia. Hinc colligit D. Tho. 4<sup>m</sup> conclusionem ubi ait, quod requiritur illa tria ad iuste interrogandum, duo priora ad inquisitionem; tertium vero ad viam accusationis ut reus teneatur manifestare veritatem. Dubitatur circa istam conclusionem: Utrum ita vera sit; videt quod non, quia durum est illud et quia cum tanto periculo manifestare veritatem est actus heroicus; non ergo obligat omnes, imo videtur quod pertineret ad perfectionem et consilium.

His non obstantibus conclusio ut jacet est certissima, quod tenetur sub mortali.

Nemo est quod contrarium dicat; probatur ex consensu et autoritate omnium theologorum et jurisperitorum et omnium recte sentiendum. 2.<sup>a</sup> probatur, quia est actus iustitiae et obedientiae; praecepit iudex, ille tenetur obtemperare, alia esset bellum justum ex utraque parte seclusa ignorantia, quod non potest esse ut iudex praecipi at juste et ipse neget juste. — Et quia esset contra bonum publicum. Delicta enim manerent impunita, et potestas publica et juridica non est efficax, nec sibi sufficiens /fol. 128, r./ ad conservandum bonum commune dilatando iudicium usque ad executionem, si non posset obligare reum ad manifestandam veritatem. Ergo etc. Unde reus non est absolvendus quando negat veritatem iudici sicut neque qui retinet alienum, illa enim veritas est publica et debetur iustitiae. Tenetur enim illam manifestare quidquid sequatur inde. Sed prudenter debet advertere confesarius an reus teneatur fateri veritatem; ex multis enim potest contingere ut non teneatur, sive ex parte iudicis, sive ex parte rei, sive ex parte modi procedendi ut amplius explicabitur. Ex parte iudicis, ut si iudex usurpat iudicium, si iudex secularis comprehendit ecclesiasticum qui gaudet privilegio clericali, licet tamen sit clericus primae censurae, licet omnia alia concurrant iste tamen non tenetur fateri veritatem, quia injuste interrogatur. Sed et si extrahatur ab Ecclesia qui gaudebat immunitate ecclesiastica est probabilissima sententia quod non tenetur fateri veritatem ob defectum, injuste enim inquiri; sed iudex debet illum reducere ad ecclesiam. Hoc tenet Soto, quaestione 7 citata, sed diximus in conclusionem quod tenetur respondere veritatem sub mortali ex suo genere, sed ex levitate materiae potest esse veniale, licet totum iudicium sit illius materiae levis; ut si prelatus interroget subditum: trasgressus es silentium, si respondeat non, non peccat mortale, licet teneatur confiteri, ita in iudicio a fortiori et in aliis. Ita

ait Soto ubi supra, quod est certum quia ipse iudex, si in re levi iudicet contra veritatem, non est peccatum mortale, ergo etc. nec dicere mendacium aut negare in re levi erit mortale. Et idem est in furto et aliis, potest esse aliquod peccatum ex parvitate materiae veniale. Cajetanus hic tenet contrarium: quod mendacium omne quod fit in iudicio est peccatum mortale, sicut mendacium quod substat juramento et est juramento firmatum; quia sicut qui jurat falsum aut mendacium quantum in se est facit Deum testem mendacium, ita qui in iudicio mentitur facit iudicium falsum quantum in se est, quod iudicium est Dei et iudex minister Dei, Deuteronomium, cap. 1.<sup>o</sup> Dei iudicium est etc. Et idem tenet Cajetanus de confessione, quod omne mendacium in confessione est peccatum mortale. Sed contrarium est verum sine dubio et Cajetanus se explicuit et limitavit hoc in Summa, verbo confessio, circa illud quod sit fidelis confessio; quantum vero attinet ad praesens, minor difficultas est in iudicio quam in confessione: unde ad argumentum de perjurio dico diversam esse rationem, quia in perjurio adducitur Deus testis falsitatis quantum est in ipso jurante, in iudicio vero non adducimus Deum iudicem falsitatis et ideo non statim peccatur mortaliter imo vero sacrilegium parvum potest esse peccatum veniale ut si quis comedat in ecclesia etc. et ita in presenti.

Circa 4 conclusionem, dubitatur quae dicatur infamia sufficiens ut iudex possit iuste interrogare, et quae indicia, et quae semiplena probatio. Ad 1<sup>m</sup> dicimus ut (bene?) supra de correctione fraterna, et dicit etiam Cajetanus et Soto hic quod infamia non est murmur populi quicumque, neque frequens vox discolorum et plebeiorum, de gente baja, sed frequens vox hominum proborum, prudentium et cordatorum, ita quod hoc est /fol. 128, v./ verum quod non possumus certam assignare regulam, sed relinquendum est arbitrio viri prudentis et pro magnitudine populi iudicandum est quando sit publica infamia, quando vero non. Haec sententia Cajetanus de publica infamia explicatur

bene a pontifice in cap. inquisitionis, de accusationibus, in fine, quod quamvis aliqui reputent aliquem esse malum si apud probos non est ejus opinio nihil reffert sententia multorum, unde sequitur contra Palud. in 4, d. 19 quaest. 4 et contra Silvestrem, verbo inquisitio, p. 4, quod infamatus de uno crimine non est interrogandus de alio crimine, neque tenetur respondere de alio de quo non est infamatus, contrarium tenent isti; sed ratio nostra haec est, quod infamia habet latitudinem et multo major infamia est in uno quam in alio, ergo non statim est infamandus de uno et alio, et alio, praesestim cum alia sint pejora. Et probatur a priori, quia oculata crimina sunt exenta a iudicio humano licet peccator sit manifestus in uno de quo est 1.<sup>o</sup> accusatus, et ita iudex non potest inquirere, neque reus tenetur respondere; ita Cajetanus, opusculum 17, articulum. Responsio 5.<sup>a</sup>, dubio ultimo, sed Cajetanus bene explicat hic quae dicantur indicio manifesta.

Adverte quod dicuntur indicia in numero plurali quia unum non sufficit nisi fuisset valde vehemens, evidentissimumque indicium, tunc licet inquirere. Et debent esse manifesta quoad tria. 1.<sup>o</sup>, quoad crimen et delictum ut manifestent delictum. 2.<sup>o</sup>, quoad peccatorem quod illum manifestent. 3.<sup>o</sup>, quod ipsa indicia sint ipsi reo manifesta: id est: ut ille teneatur respondere, non sufficit quod dicat illi iudex: habeo contra te multa indicia magna, quia non tenetur credere iudici, sed potest illi dicere ostende mihi haec indicia, alias enim potest tacere vel excusare veritatem ut diximus.

Dubium 2.<sup>m</sup>: Quando delictum est publicum persona vero secreta iudex possit inquirere iuste reum, et alii teneantur manifestare veritatem et ipse reus. Ad hoc dubium, ut refert hic Cajetanus, D. Tho. quandam respondit affirmative quod potest, et quod reus tenebatur se prodere, sed illud dixit quando erat juvenis.

Pro solutione nota disputationes de inquisitione generali et particulari. Dico 1.<sup>o</sup> quod in particulari non potest

juste inquirere, hoc dicunt jura citata de accusationibus, et cap. qualiter et quando 2.<sup>o</sup>, et probat pontifex ibi sacrae Scripturae testimoniis ut de illo villico, nisi preceperit infamia, nec potest iudex iusta inquirere interrogandi singulos occidisti hominem, quia est iniqua percontatio, infamat enim illos sine causa et facit suspectos de isto crimine et ex consequentia sequitur quod non tenetur reus neque testis respondere veritatem illi interrogationi.

2.<sup>o</sup> dico quod si inquisitio est generalis tam ex parte inquisiti quam ex parte interrogati est licita ut patet ex communi usu visitatorum; visitatores, enim, imponunt praeceptum generale, ad aliquo sciendum, et quando accidit aliquis casus peculiaris licitum est ut precipiat in communi ut sciens illud manifestet, quod probatur communi usu religiosorum et (ubique?); sed tunc illa inquisitio intelligendo est in generali servato juris ordine /fol. 129, r./ et evangelio, et ita occulta crimina excipiuntur quae non tenemur manifestare, nisi esset contra bonum publicum, esset heresis vel periculum proximi.

3.<sup>o</sup> dico quod potest esse inquisitio generalis ex parte inquisiti et malifactoris, particularis vero ex parte interrogantis, quia interrogat hoc modo scis quis hoc commiserit delictum. Soto ait, ubi supra, quod non sit licita haec inquisitio, quia potest evenire ut interroget reum et malefactorem et forte ille habebit verba sufficientia, quibus sine mendacio et perjurio evadat, et est periculum quod ille turbetur et ex rubore vultus ejus intelligat reum esse, hoc est injustum. Confirmatur quia si ille iudex juste inquirat illo modo, ergo per regulas positas alius tenetur se prodere; consequens est falsum quia occultum est, ergo etc. Sed his non obstantibus, contraria mihi videtur probabilior, quod illa inquisitio sit licita per se sub illa forma; probatur ex communi usu et contrarium nocent multitudini et causaret scandalum. 2.<sup>o</sup> quod licet ille iudex ignoret, potest contingere ut interrogatus teneatur fateri

veritatem, vel propter bonum commune vel quia precessit infamia publica, et hoc aliquando ignorat iudex. 3.<sup>o</sup> probatur quia illa precepta quae fiunt communi visitatione sunt licita et prelati in particulari interrogant, et quando religiosus apparet coram iudice interrogatur ab illo, scis an in hac domo sit reformandum, arguo quando nulla precessit infamia alicujus neque delictum est publicum licet interrogare ista generali interrogatione, ergo a fortiori licet interrogare illo modo quando delictum est publicum; verum est tamen quod deberent iudices in hujusmodi inquisitione, ut aliquando faciunt prelati timoratae conscientiae, explicare subditis se non intendere per talem interrogationem ut subditi manifestens vel occulta crimina vel occultos malefactores ut cautum est in cap. qualiter et quando 1.<sup>o</sup> de accusatio. Unde haec sententia ita explicata est Cajetanus, opuscul. 17, articulus, responsio 5, fol. 65., et Silvester verbo, inquisitio I, p. 6, de Cajetanus hic non negat hoc, sed hoc negat et bene et omnes reum teneri se prodere quod discerat D. Tho. quando juvenis, vel quod alius teneatur manifestare; hoc est falsum et illud D. Tho. non est admitendum. Ad argumenta Soti respondeo quod si reus interrogatus potest licite occultare veritatem verbis amphibologicis sicut alii et si forsam se prodit rubore vultus vel ambiguitate sermonis sua culpa est, iudex suum exercet officium et forte voluit Soto quod illa non est per se licita sed ratione scandali; unusquisque videat quomodo respondet. Ad aliud argumentum dico quod juste inquiritur in genere; verum est et reus respondet in genere se nescire et quia iudex interrogat scientia publica pertinente ad iudicium, hinc solvitur argumentum ex D. Gregorio et habetur in 5.<sup>a</sup>, quaest. 1.<sup>a</sup>, cap. quidam ubi Gregorius excommunicat quendam qui fecerat libellum famosum nisi manifestet publice et confiteatur (h) errorem suum, ergo licet etc. Ad hoc respondeo quod ille infamavit hominem et tenebatur retituere /fol., 29, v./ famam et non potest nisi manifestando, preci-

pit pontifex quod faciat id quod tenetur facere, scilicet restituere famam, ut Episcopus precipit latrocinibus sub pena excommunicationis ut restituit debitum intra certum tempus.

Cajetanus hic ait quod pro peccato preterito potest quis excommunicare sicut pro peccato futuro ut si fecerit hoc et si percuserit clericum sit excommunicatus, hoc communiter inpugnatur Cajetanus quia ad excommunicandum requiritur rebellio et aliqua contumacia contra Ecclesiam et ista non est peccato preterito, hoc Soto ubi supra, bene tamen est quando dicit si hoc fecerit sit excommunicatus, Hinc solvitur dubium, Utrum reus teneatur manifestare socios et complices, et iudex juste de illis inquirere; sed de hoc Soto, ubi supra, et Cajetanus opusculo citato. Sententia vera est quod si sint occulti non infamati, neque iudex potest illos inquirere, neque reus illos manifestare, nisi esset periculum multitudinis, maxime si est heresis, si complices moneant occulti, et ideo in officio inquisitionis tamdiu detinentur heretici ad videndum an sint plures complices et socii; hac conclusio est expresa in utroque jure in cap. cum monasticum de confessis titulo; ibi habetur quod secundum statuta utriusque juris non sunt interrogandi confessi de se super aliorum conscientiiis, excepto crimine lexae majestatis, et habetur cap. de accusatione lege finali.

Hinc sequitur quod si reus, ut habetur in eodem capite manifestat contra ordinem juris complicem vel iudex eum extorqueat contra ordinem juris, non potest iudex punire complicem, neque ille tenetur fateri veritatem si crimen est occultum, et iste casus est multum advertendus quia saepe accidit, de hoc Soto, et Panormi. de confessis, ponit quasdam excepciones. Vide Cajetanum optime explicantem hoc.

Dubitatur 4.<sup>o</sup> principaliter quae sit semiplena probatio quando tenetur reus manifestare veritatem. Hoc explicat Cajetanus hic, et Soto.

Plena provatio est quae sufficit ad condemmandum reum, ut sunt duo aut tres testes omni acceptione majores legitimi etc., juxta illud in ore duerum aut trium etc. Semiplena probatio est via accusationis quando precessit legitima accusatio et unus testis juratus omni acceptione major ita quod non sit reus criminis, infamis, et quando est aliqua ratio sufficiens ad expellendum talem testem, ut dicemus infra; quia tunc non esset semiplena probatio, unde quando aliquis reus deponit et manifestat de aliis complicibus et sociis aliquod crimen et delictum tunc solum illud testimonium, si alias sunt alii bonae famae et oculati, non sufficit ut alius teneatur manifestare veritatem si tamen contra jus reus negavit veritatem quando tenebatur fateri et evassit ex manibus judicis, vel quia fugit, vel quia iudicium terminatum est. Teneturne postea redire ad carcerem ut puniatur sicut erat puniendus si confessus esset veritatem antea quam exisset.

/fol. 130, r./ Dico quod non, sed tenebitur restituere damna secuta ex sua occasione iniusta ut supra diximus de restitutione. art. 3, quod teneatur dicere veritatem sicut restituere et qualiter non est absolvendus ut supra diximus, intellige quando est in iudicis potestate a quo interrogatur, alias si fugit esset inhumanum non obsolvere sed compellere ut rediret ad manus iudicis, — Sed si juris an possit illum punire, dicemus de hoc et similibus infra de testibus, sed si dubitat reus an teneatur dicere veritatem necne quod est effecturus, de hoc Soto in relictione sigilli, memb. 3, quaestione 2. Silvester verbo obedientia, quaestio 6, ait quod debes agere pro iudice, sed Adrianus, quolibet 2, non ita respondet; et ita dico tria: 1.º, quod si (quaemadmodum ?) revelat veritatem, nullum sequitur inconueniens nec sibi nec aliis nulli abest et aliquibus prodest, debet manifestare. 2.º, quod si utres se habet in criminalibus communiter si ex manifestatione veritatis sequitur periculum capitis sui vel alteri et non sequitur totum malum commune ex negatione potest negare quia

omnia jura declinant in dubios parique delicto vel causa, melior et tutior est conditio posidentis; iste posidet famam, honorem et vitam, ergo etc. Est alia regula 2.<sup>a</sup> de regulis juris, cum portium jura sunt obscura, reo favendum est potiusquam actori, ergo etc. 3.<sup>o</sup>, Si ex sua negatione sequitur detrimentum boni communis tenetur fateri, alioquin non.

Dubitatatur circa 2<sup>am</sup> et 3<sup>am</sup> conclusionem. Quando reus vel accusatus potest negare veritatem, quibus verbis poterit licite celare quando interrogatur.

De hoc Soto circa finem in hoc articulo et in relectione n.º3, membrum 3, quaest. 3

Pro solucione, nota quod numquam licet mentiri neque pro salute totius mundi et quodcumque est mendacium, si affirmetur juramento, quodcumque sit mendacium est peccatum mortale, et peccatum mortale, quod nunquam licet neque pro salute totius mundi, nec fidei, quod definitur in bulla Martini quae habet in fine concilii; contant in interrogationibus que fiebant bohemiis, De hoc non disputamus, sed quibus verbis reus oppressus poterit, dicendo verum occultare veritatem sine mendacio et perjuro. Nota etiam quod ille qui tenetur fateri veritatem in judicio, quibuscumque verbis occultet, peccat mortaliter, ut ait D. Tho., conclusione 1.<sup>a</sup> Alius vero qui non tenetur fateri veritatem quibuscumque verbis neget, non facit contra justitiam nec infert aliqui injuriam, unde in opinionibus (disparcendo?) declinandum est in favorem hujus oppressi quemadmodum jure potest occultare veritatem ut evadat manus tyrani aut injusti judicis.

His suppositis, ad quaestionem dico quod 1.<sup>a</sup> via evadendi injustam interrogationem est per apellationem non volendo respondere sed appellando, et si urget magis iudex, appellet reus, maxime clericus in criminalibus potest repellere hanc interrogationem, non tenetur respondere, ne fiat irregularis. 2.<sup>a</sup> via est respondendo sic in communi dicendo nego proposita ut proponunt quod est dicere

nihil scio, nollo respondere, et est via tuta et antiqua. Licet Scotus, in 4, d. 15, quaest. 4, putet aliquem esse scrupulum in hac responsione qui tamen non est, iste tamen duae viae presertim in criminalibus et quando accusati sunt infimae sortis non sunt sufficientes viae; /fol. 130, v./ non enim poterunt evadere manus iudicis quia est suspectus jam et statim debetur tortoribus. 3.<sup>a</sup> ergo via est et tutior quando interrogatio fert respondere nescio clare et absolute et nollum est hic mendacium. Dico autem si interrogatio fert quemadmodum responsio non scio potest habere locum quando interrogantur testes scis quis occiderit, id est potest respondere non scio interrogationi de testibus quid occidit etc. Et quando ipse reus interrogaretur inter alios potest respondere non scio; in hoc conveniunt doctores quia habet commodum sensum. scio ad dicendum vel non, scio secrete vel publice et ita sensus est nescio ad dicendum, et non scio publice, qui sensus colligitur ex verbis Christi, Marc. 13, ubi interrogatus de iudicio, respondit de die autem illo nemo scit neque angelus in celo, neque filius hominis, neque ego, tamen certum est quid Christus non solum ut Deus sed ut homo sciebat diem iudicii et non mentitur, habet ergo commodum sensum ut intelligatur non scio ad dicendum et manifestandum, ut explicat D. Aug., super Psalmum 6, vel sensus est non scio, in quantum homo, naturali cognitione, quia scio divina revelatione ex speciali infusione scientiae divinae, et ita esset sensus non scio publice quod debeam hominibus manifestare; et ita doctores communiter in presenti negotio explicant illud non scio ad dicendum vel scientia publica quia hanc scientiam publicam inquirat iudex ex proprio officio suo, non secreta; secreta enim crimina exempta sunt et ita in hoc sensu nullum est peccatum. Licet juret quia cadit supra materiam debitam unde confessariis possunt respondere a fortiori non scio; imo ait Adrianus quod si urgeat iudex inique interrogando scis in confessione potest respondere non scio in confe-

sione, quia non scit ut homo sed ut Deus in alio foro exempto a quoquamque alio foro exteriori. Adrian. quodlibeto 2, ad 2<sup>m</sup> argumentum principale et in materia sigilli dicemus. Hinc est quod si interrogatus non vidit propriis oculis illud quod inquit iudex, sed solum audivit etiam ab ipso reo potest verius et proprius respondere non scio, quia scire refertur ad evidentiam. 4.<sup>a</sup> via est ubi est major difficultas, si interrogatur vidisti, audivisti, fecisti, quomodo respondebit. Circa hoc Soto ubi supra quead illud non vidi, non audivi, duvi at an sine mendacio possit dicere de illo non feci, ait quod non licet occultare veritatem quia est verum mendacium; ratio ejusest quia illud verbum feci non habet equivocatione quam habet scio feci ut dicam, feci ut non dicam ridiculum esset et si ita liceret occultare veritatem frustra laborarent doctores admonendo na dicatur mendacium quia non videtur quod aliud mendacium vellint vitare nisi hoc mendacium in iudicio non feci, ergo etc. Sad his non obstantibus Adrianus, in 4, in materia de sigillo confesionis, folio 95, ait ait quod secundum doctores licet respondere de tali casu nullam habere notitiam vel certe non feci. Cajetanus, opusculo citato, de complicibus, 17 articulus, folio 65, responsione 5, ait quod quando iudex interrogat reum in communi habes complicis alios, si habet complices secretos, potest dicere non habeo complices; ratio sua est quia illa interrogatio iudicis est exponenda secundum ordinem juris si justa est et ita habet hunc sensum, habes complices notos vel diffamatos quos tenearis in iudicio manifestare, ergo responsio est intelligenda /fol. 131, r./ secundum interrogationem. Justam quia ille brevis responsio negat totam interrogationem iudicis, et ideo verum dicit semper. Haec sententia mini placet; et hoc demonstrat ratio Cajetani. Et ita quando iudex interrogat fecisti hoc homicidium, exponendum est juste et iudice, scilicet fecisti homicidium diffamatum vel de quo sis infamatus et tenearis manifestare in iudicio; dicit non feci, quae res-

ponso ita intelligenda est ac si expressis verbis proferret. Hoc est verum, ergo bene potest fieri. Confirmo quod sit bona responsio, quia ut constat ex cap. qualiter et quando 1.<sup>o</sup>, in forma iuramenti quando inquit iudex expresse excipit iudex occulta crimine; ergo omnes interrogatio exponenda est sic; et probatur ex D. Tho. supra quaest. 67, art. 2; ubi ait quod licet condemnare innocentem quando probatur nocens secundum iura et decundum allegata et probata, quia sicut iudex habet auctoritatem publicam secundum quam iudicat ita debet informari scientia publica, ergo iudex inquit crimina publica solum quia secreta sunt exempta, ergo et interrogatio et responsio exponendae sunt secundum scientiam publicam, et quia ibi diximus iudicem non mentiri quando ait iste reus est mortis licet sit innocens et ipse scit quia intelligitur secundum allegata et probata; et probatur ex Mat. 9, Luc. 8. Dicit Christus non est mortua puella sed dormit; certum et mortuam esse, quia alius non illam resuscitasset, et illa dictio mortua non habet equivocationem. Licet illa dictio, dormit, poterat habere, et Christus non mentitur neque mutat verborum significationem, ergo intelligitur non est mortua mihi; ac si diceret: ita facile possum illam resuscitare a morte sicut a somno, et illa dictio, mihi, non est solum mente retenta et subintellecta, sed discipuli et alii plures ex miraculis quae factis a Christo ex eius potentia et magnitudine intelligebant illud verum non est mortua, sed alii irridere eum, ergo licet aliquid (subticere?) sine mendacio quando clarus sensus est apud omnes. Probatur exemplo, vidisti Petrum, non vidi et nunquam vidi; quae responsio vera est quia interrogatio intelligitur de proximo vera est vidisti proxime, non vidi proxime, ita in presenti etc. Sed ex hie non sequitur quod in familiari colloquio liceat hoc, quia qui interrogat non est persona publica et privata sed solum privata interrogat, et de scientia privata non autem de publica. Aliqui imponunt Scoto quod si aliqua mulier commisit adulterium ipsam posse respondere quod

non, et retineat in corde suo conditionem scilicet in Ecclesia, quae realiter adulteriu commisit. Dico quod Scoto nunquam tale dixit nec verum est quia hic non habet locum illa responsio amphibologica, vit namque ut persona privata interrogat, sed si iudex urgeat ad ea omnia quae diximus et dicat, responde si fecisti secreto sive publice, dico quod potest respondere dico quod dixi, quod scripsi scripsi potest habere commodam expositionem juridicam si dicat non feci delictum secreto vel publice quod teneat in iudicio manifestare, non enim querit iudex, sunt namque aliqua manifestanda licet sint secreta, ut si vergunt in perniciem publicam (et de his respondeo non feci) ut heresis, crimen lasae majestatis, et si amplius urgeat iudex, ego interrogo privata auctoritate sive sit secretum sive publicum, sive tenearis respondere sive non. Dico quod non possumus omnes iniquitatis hominis obviare /fol. 131, v./ illi enim non tenentur respondere ut persona privata sed ut iudex et hoc modo potest dicere, jam dixi.

Adverte regulam: D. Tho. infra quaest. 89, art. 7, ad 4<sup>m</sup>; et ibi Cajetanus quod quando homo non tenetur manifestare veritatem et dicit verba quae secundum se sunt vera in aliquo sensu, non tenetur respondere intentioni interrogantis sed intentioni jurantis et ita potest componere verbo artificiose, ita quod alius fallatur et ipse dicat verum, quando vero tenetur manifestare veritatem debet respondere intentioni interrogantis, et ita intelligenda sunt illa verba Isidori ibi citata. Hinc sequitur quod si quis occiderit hominem se defendendo cum moderamine inculpatae tutelae, si confitetur se occidisse hominem suspendatur, quia delictum est manifestum et non potest probare se occidisse illum se defendendo.

Quomodo (vero?) iste respondebit. Dico quod potest respondere ego non occidi illum vel ego non sum homicida, quia respondet intentioni iudicis qui inquit homicidium et homicidam cum peccato mortali, et ita vera est responsio et ita in aliis casibus similibus, ut quando

fecit aliquis aliquid quod secundum se est contra legem, qui tamen aliqua ratione vel necessitate extrema vel ignorantia invincibili ut in furto ratione extremæ necessitatis.

Ad 1<sup>m</sup> argumentum respondeo quod illa via ratione equivocationis non salvamus veritatem illius sed secundum proprietatem, secundum interrogationem, verum est quod in verbum non scio salvatur veritas utroque modo et ratione equivocationis et in proprietate sermonis et in colloquio particulari possumus uti (verbi?) non scio. Ad 2<sup>m</sup> dico quod non est mirum posteriores doctores aliqua dicere explicitius quam discerunt antiquiores et priores et ita nos facimus ex principiis et doctrina D. Tho. Ratio: dico quod doctores et D. Tho. intendunt docere quod reus non dicat verba intentione mentiendi quia nullo modo debet mentiri ut aliqui nescientes nostram astutiam et fugam cum intentione mentiendi, mentiuntur et perjurantur in sua consciencia, si autem ille inveniat bonum modum quo dicat illa verba vera et ita intendat, bene potest facere.

Si rogas an liceat dicere illa verba amphibologica intentione fallendi, dico 1.<sup>o</sup>, quod licet intendat decipere alium non est mortale quando injusta interrogat, quia non est contra justitiam; et ita non est in illo casu mortale 2.<sup>o</sup>, dico quod non licebit intendere deceptionem alterius, alias Deus pesset decipere nos, quod est absurdum et hereticum. 3.<sup>o</sup>, dico quod in illo casu ille intendit occultare et se tueri ab injusta oppressione sive alius decipiatur sive non, etiamsi sciat quod alius decipietur, et hoc potest facere quia utitur suo jure medio licito, sicut supra diximus, quod licitum est se defendendo alium occidere; non tamen intendere formaliter occisionem hoc est malum, sed suam solum deffensionem.

/fol. 133, r./ Art. 3.—Utrum reo liceat iudicium per appellationem declinare.

1.<sup>a</sup> conclusio: Si juste est non licet.

2.<sup>a</sup> conclusio: Quando sententia est injusta licitum est appellare ut fecit Paulus, Act. 25; dixit Cesarem appello.

Circa hanc actionem vide Silvester, verbo appellatio per totum, et in decretalibus, canon de appellationibus, et in jure civili. Tamen nota quod aliud est iudicium per appellationem declinare, aliud per supplicationem. 1.<sup>m</sup>, appellatio est provocatio ab inferiori iudice ad superiorem. 2.<sup>m</sup>, scilicet supplicatio, est ab eodem ad idem ut melius videat. Dico quod appellatio non licet quando est justa sententia, sed supplicate aliquando licebit in tribunali, maxime supremo, quia licet secundum iustitiam inferior sententia justum profulit, tamen supremus poterit temperare illam sententiam praesertim si est aliqua causa temperandi rigorem legis et quando non fiat supplicatio vel appellatio clare ex perversa intentione ut fugiat justum iudicium sed ut si est aliqua causa temperetur illa sententia ut solet temperari maxime in criminalibus ad arbitrium advocati; non statim damnarem (eos) peccatum mortalem. De hoc vide Silvester, verbo appellatio, p. 7.

Item nota quod quando aliquis injuste provocavit et appellavit vel supplicavit non solum peccat sed tenetur solvere expensas actoris quia injusti facit hoc.

Item nota religiosos non posse appellare nisi rarissime ut habetur de appellationibus cap. ad nostras, et aliis cap. quod cautum est in aliquibus religionibus, in constitutionibus et regulis, et in ordine Predicatorum, et circa hoc servandae sunt regulae et constitutiones.

Art. 4.—Utrum liceat condemnato ad mortem se defendere si possit.

1.<sup>a</sup> conclusio: Si sententia est justa non licet se defendere a ministris iustitiae. 2.<sup>a</sup> conclusio: Si sententia est injusta, secluso scandalo, licet se defendere. Dubitatur: circa utramque conclusionem si, juxta doctrinam suppositam, innocens damnatur ut nocens secundum allegata et probata justa ex parte iudicis: utrum iste possit se defendere a iudice vel a ministris iustitiae usque ad alicujus

occisionem. Ratio dubitandi summitur ex ipsis conclusionibus D. Tho. quia in 1.<sup>a</sup> et 2.<sup>a</sup> conclusione si est justa et si est injusta, vel intelligit in re, vel in foro exteriori; arguitur sic; ille est damnatus injuste secundum rem, ergo potest se defendere; patet consequentia quia injusta sententia non obligat in conscientia ut patebit quaest. sequenti, art. 4, et ita habet ille jus ad vitam cum sit innocens in re, et ita potest se defendere, et durum esset istum obligare quod non potest. Alia est sententia contraria, quo iudex secundum allegata et probata juste procedit usque ad executionem sententiae, ergo non potest se defendere aliter enim esset bellum justum ex utraque parte /fol. 132, v./ quod est inconveniens; et, seclusa ignorantia, daretur huiusmodi bellum quando iudex privatim scit illum esse innocentem.

Circa hoc sunt duae sententiae; 1.<sup>a</sup>, ex primo fundamento, quod, sicut ait D. Tho. in conclusione secluso scandalo, et ad argumentum quod daretur bellum justum ex utraque parte, respondet haec sententia non est inconveniens; illud dari supposita ignorantia, et ita in presenti est ignorantia saltem publica, quia publica iustitia ignorat illum esse innocentem et ideo pugnat contra illum, ipse vero scit se esse innocentem et defendit se et potest; et datum bellum justum per accidens ex utraque parte respectu diversorum sine ignorantia ut si aliquis opugnat arcem juste in qua sunt innocentes perituri et fovet justum bellum, illi innocentes possunt se defendere, diversa enim bella sunt: alterum offensivum, alterum vero defensivum. Hoc tenet magister victotria; contraria est sententia ex fundamento contrario, quam habet Soto; quia videtur durum quod iudex teneatur sub praecepto contra illum et ille possit se defendere: haec sententia est tutior quamvis 1.<sup>a</sup> sit probabilissima quia ut minimum illa defensio quasi per se habet annexum scandalum, atqui D. Tho. in 2.<sup>a</sup> conclusione se explicat de qua sententia loquatur, intelligit de injusta (habetque ?) intolerabilem errorem, se-

cundum allegata et probata, quia loquitur de casu quo iudex peccat iudicando ut latro et homicida, et ideo sicut licet insistere latronibus etc.; unde in 1.<sup>a</sup> conclusione intelligit de justa sententia in se vel secundum allegata et probata, et hoc videtur magis conformè suae menti ut patet ex supradictis; secundum omnes, tamen, innocens plura potest facere quam posset facere si esset nocens, potest enim aequaliter se tueri sine sanguinis effusione, et hoc concedit Soto et omnes.

Circa solutionem ad 2.<sup>m</sup> movet Cajetanus (contra ?) dubia, et Soto tractat ea ubi supra. 1.<sup>o</sup>; nota, quod qui est damnatus vel damnandus ad mortem vel ad mutilationem membrorum vel ad flagella publica, potest sine aliquo peccato fugere, non tamen tentur fugere, nec illi imputatur si custos carceris damnum patiatur quia ille utitur jure suo fugiendo; custos vero custodiat et vigilat super custodiam suam, et potest licite frangere vincula et fores ad fugiendum et solum tenebitur damnum restituere damnis carceris sive damnis publicae, lo que valen los grillos, et alia, non tamen potest inferre vim custodibus. Sed potestne alius illud adjuvare ad fugiendum, Cajetanus ait quod sic, Soto quod non; utrumque est probabile et jure naturali sententia Cajetani est vera, potest tamen justitia publica ferre legem quod nullus adjuvet illum propter bonum publicum et forte ita cautum est in lege. Hoc tamen est certum ut Cajetanus ait quod nullus potest inferre violentiam carceri ex parte exteriori bene tamen intra, certum etiam est ministros carceris et justitiae non posse juvare; secus est de aliis non habentibus officium custodiendi.

2.<sup>o</sup> nota, quod si aliquis esset damnatus ut maneat in carcere /fol. 133, r./ secundum Cajetanus et Soto non potest fugere; sed Cajetanus ait quod ad carcerem damnatum dum decernitur si occidetur vel non quod tenetur manere, eo quod per accidens est postea sequi sententiam mortis, sed Soto ait melius quod quandocumque est peri-

culum vitae vel mutilationis ille potest fugere. Dico quod in iudicio seculari quando est damnatus carceris perpetuae vel ad galeras credo quod liceret fugere quia illa est servitus durissima; servus vero potest fugere et ut habetur frequenter de regulis juris, circa finem, servitutem mortalitati fere comparamus; licet ergo fugere in hoc casu et huic non est neganda absolutio, secus est de religiosis et clericis et hic qui condemnantur ex officio inquisitionis tenentur enim manere. 30 nota, quod si quis esset damnatus ut fame moriatur, ait D. Tho. quod potest licite edere si offeratur illi panis quia alias esset se occidere, certum est quod licet comedere, sed dubium est utrum tenetur comedere. Cajetanus ait quod sic quia alias esset se occidere et videtur hoc dicere D. Tho. alii tenent oppositum quod non tenetur edere licet possit, sed propter rempublicam potest pati mortem, et hoc magis mihi placet, et ita habet Victoria et Soto, neque seipsum occidit positive, et exponit se periulo mortis pro bono publico et non facit id quod potest facere ad conservandum vitam quia in tali casu pro bono publico non tenetur conservare vitam et D. Tho. est exponendus seipsum occidit private se habendo et quia inde sequitur mors non tenetur non comedere sed potest, et non inde sequitur, ergo tenetur, et ita exponendus est D. Tho. supra quaest. 32, art. 6, ubi ait quod de necessariis sibi et filiis non tenetur homo elemosinam facere, quia esset sibi et filiis vitam subtrahere, cum hoc tamen ait statim quod si est aliqua persona publica in extrema necessitate, quae est persona necessaria bono publico potest laudabiliter illi dare panem etsi sequeretur mors sua et filiorum, quod si esset intrinsice malum ut gladio percutere, nunquam liceret.

4.º nota, quod nullus alius tenetur precepto charitatis vel elemosinae dare panem illi qui est damnatus ut fame moriatur, licet, (poset ?) dare quia est juste damnatus et non tenetur ire contra iustitiam.

**QUAEST. 70****De injustitia pertinente ad personam testies.**

Art. 1. Utrum homo teneatur ad testimonium ferendum.

1.<sup>a</sup> conclusio: si iudex interrogat secundum ordinem juris, tenetur reus manifestare veritatem.

2.<sup>a</sup> conclusio: si iudex interrogat contra ordinem juris, non tenetur manifestare veritatem.

3.<sup>a</sup> conclusio: quando testimonium est necessarium ad bonum publicum vel ad bonum proximi, tenetur homo ferre testimonium sua sponte etiam non requisitus /fol. 133, r./ ut diximus de accusatore; et ad hoc tenetur non ex iustitia particulari sed ex charitate vel ex legali iustitia, et ideo si omitat peccat, sed non tenetur restituere.

4.<sup>a</sup> conclusio: si agitur tamen ad punitionem criminis alicujus et non est necessarium ad bonum publicum ejus punitio vel alicujus, non tenetur homo sua sponte ferre testimonium, licet immineat periculum mortis.